An. et vol. XXXXI 2 Iulii 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: In solemni canonizatione B. Mariae Iosephae Rossello, p. 305 – Constitutiones Apostolicae, p. 308 – Litterae Apostolicae, p. 318 – Epistulae, p. 324 – Nuntius radiophonicus, p. 329.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: I. II. Decreta, p. 333 – *S. C. Consistorialis*: I. Provisio Ecclesiarum, p. 335; II. Designatio, p. 336.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 seu $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 seu $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

«*Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur*» (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 8 - 2 Iulii 1949)

ACTA PII PP. XII

In solemni canonizatione
B. Mariae Iosephae Rossello

pag.

Proclamatio 305
Homilia 306

Constitutiones Apostolicae

I. *Icensis.* - Canonicorum Capitulum in Cathedrali Ecclesia Icensi erigitur. - 10 Ianuarii 1948 308
II. *Olidensis et Recifensis* (Caruaruensis). - Ab Archidioecesi Olidensi et Recifensi et a Dioecesibus Nazarensi et Pesqueirensi territoria distrahuntur, ex quibus nova Dioecesis Caruaruensis constituitur. - 7 Augusti 1948 311
III. *De Tali* (Taliana). - Praefectura Apostolica de Tali in Sinis in Dioecesim, Talianam nomine, erigitur. - 9 Decembris 1948 314
IV. *De Yaoundé* (de Doumé). - Vicariatus Apostolicus de Yaoundé dismembratur et novus erigitur Vicariatus de Doumé nuncupandus. - 3 Martii 1949 316

Litterae Apostolicae

I. *Maternam.* - B. Maria Virgo « de Coromoto » praecipua caelestis Patrona universae Venezuelanae Reipublicae constituitur. - 7 Octobris 1944 . . 318
II. *Cunctas haereses.* - Beata Maria Virgo, vulgo « Madonna di Tirano », in Comensi dioecesi, Patrona caelestis totius Valtellinensis regionis declaratur. - 20 Iunii 1946 319
III. « *Ostende mihi* ». - Beata Maria Virgo, titulo « Domina Nostra de Calle », praecipua Patrona caelestis Palenciae civitatis confirmatur. - 2 Aprilis 1947 321
IV. *Supremi Pastoris.* - Delegatio Apostolica Palaestinae, Transiordaniae et Cypri insulae constituitur. - 11 Februarii 1948 322

Epistulae

pag.

I. *Parmi les joies.* - Ad Revmum D. Iosephum Cardijn: vicesimoquinto anno adveniente a sodalitate condita, cui nomen « Jeunesse ouvrière chrétienne ». - 21 Martii 1949 . . . 324
II. *Supremam.* - Ad Emum P. D. Normannum Thomam tit. Ss. Quatuor Coronatorum, S. R. E. Presbyterum Cardinalem Gilroy, Archiepiscopum Sydneyensem, quem Legatum mittit ad sollemnia in Nagasaki celebranda quarto exeunte saeculo, a quo S. Franciscus Xaverius ad Iaponiae insulas appulit. - 17 Aprilis 1949 . 326
III. *Suavi animi.* - Ad Excmum P. D. Efrem Forni, Archiepiscopum tit. Darnitanum ac Nuntium Apostolicum in Aequatore, quem Legatum eligit ad Conventum Eucharisticum e tota Aequatoris Republica Quiti celebrandum. - 30 Aprilis 1949 . . 328

Nuntius Radiophonicus

Christifidelibus e tota Aequatoriana Republica ob secundum Nationalem Conventum Eucharisticum Quiti coadunatis. - 19 Iunii 1949 329

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

I. Decretum. Schismatica « Actio Catholica » in Cecoslovachia damnatur. - 20 Iunii 1949 333
II. Decretum. Responsa ad dubia de communismo. - 1 Iulii 1949 334

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. Provisio Ecclesiarum 335
II. Designatio pro Tribunali secundae instantiae 336

An. et vol. XXXXI 2 Iulii 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATAE MARIAE IOSEPHAE ROSSELLO, VIRGINIS, DIE XII MENSIS IUNII, ANNO MCMXXXXIX IN VATICANA BASILICA PERACTA.

Antequam Summus Pontifex decretoriam diceret sententiam, qua B. Maria Iosepha Rossello sanctitatis honoribus decorata fuit, Revmus P. D. Antonius Bacci, ab Epistulis ad Principes, nomine Sanctitatis Suae, haec verba fecit:

Sollemne iam advenit horae momentum, quo Petri per Pium loquentis oraculum audituri sumus.

Quemadmodum Vaticanae Basilicae fornices, innumeris flammescentes luminibus, stellati caeli imaginem referunt, ita animi omnium, eorum etiam qui erroris fuscantur tenebris, superna illa luce refulgeant, qua B. Iosepha Rossello in exemplum praeluxit.

Tum Sanctissimus ex cathedra sollemniter sic pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio, Beatam Mariam Iosepham Rossello, virginem, Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo

adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno, die eius natali, nempe die septima decembris, inter Sanctas Virgines pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus✠Sancti.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

Venerabiles Fratres, Dilecti Filii,

Quod S. Cyprianus de virginibus scribit: « Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa fecunditas; quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, gaudium matris augescit », [1] id profecto de Maria Iosepha Rossello, quam quidem Nobis licuit sanctitatis fulgore decorare, iure meritoque asseverari potest. Ea enim non modo iuventutis suae florem ad Dei aram caelesti Sponso laetabunda devovit atque dicavit, sed etiam, condita sacrarum virginum societate, cum per se, tum per sodales suas, precando, meditando elaborandoque multitudinem paene innumeram ad salutifera Iesu Christi amplectenda praecepta advocavit, sive puellarum, quas recte institutas ad solidam virtutem eduxit, sive cuiusvis generis hominum, quorum dum corporis curabantur morbi, animi quoque infirmitates vel gravissimae tam suaviter leniebantur, ut saepenumero ad morum integritatem pedetemtim allicerentur.

Hoc autem fuit, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, sanctae huius Caelitis effatum ac veluti peculiare insigne agendique norma: manus nempe indefatigabiles laborent, at mentes animique continenter ad Deum assurgant.

Ex qua quidem sententia facile eruitur cur humilis femina, humanae opis humanaeque potentiae expers, tam egregia potuerit patrare facinora, quae tantopere ad divinam gloriam hominumque salutem conferrent; siquidem, dum alacriter nullisque parcens incommodis operabatur, non suis viribus confidebat, sed unice Deo, quem, interposito Mariae Virginis eius-

[1] *De habitu virginum*, 3; ML., IV, 443 A.

que castissimi Sponsi patrocinio validissimo, supplicibus exorare precibus sollemne habebat. Nihil umquam inchoabat, non consulto ac propitiato Numine; eidemque suas committebat curas suasque angustias, id unum petens ut, eius caelesti gratia adspirante iuvanteque, posset in Ecclesiae profectum animorumque bonum adsidua semper allaborare.

Quot horas ante Augusti Sacramenti aram suavissime precando traduxit; quot dulcissimas lacrimas ante imaginem Deiparae Virginis effudit, praesentissimae eius tutelae se suaque omnia concredens! Atque ita difficultatibus, quae occurrerent, fortior effecta, ac superna semper tranquillitate fruens, suam cotidie sibi constans suscipiebat operam, ex qua uberes oriebantur salutaresque fructus.

Quamvis autem sodalium omnium esset legifera mater, tam demisso erat animo, ut infima percuperet ab omnibus haberi; et quidquid laudis ex impensa navitate sua refulgebat, quidquid utilitatis proficiscebatur, non sibi, sed divinae tribuebat impertitae sibi largitati. Quam ad rem animadvertendum est, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, mortalium neminem ante Dei oculos reapse magnum exsistere posse, nisi qui esse parvulus atque inutilis sibi videatur. Non enim aeternum Numen nostra indiget opera, sed nos potius quovis horae momento sua gratia suoque auxilio indigemus; quandoquidem sufficientes non sumus « cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est ». [2] Id apprime intellexit Iosepha Rossello, cum praesertim in gravissimum incumberet opus recte instituendae conformandaeque iuventutis, et cum etiam flagranti, qua aestuabat, caritate aegrotantibus in valetudinariis mederetur; atque adeo ex indefesso labore suo, supernis confirmato ac ditato muneribus, tantum potuit salutarem profectum assequi, eumdemque cum ceteris communicare.

Habent igitur imprimis sacrae virgines, quae Instituto a S. Iosepha Rossello condito adscitae sunt, praeclarissimum in ea sanctitatis exemplar, quod imitentur; idque potissimum ab

[2] *II Cor.*, III, 5.

ea discant, ut, dum multiplicibus cotidie curis laboribusque implicantur ac distinentur, mentem animumque suum ad Caelum convertant, utpote ad unicum suae vitae praemium suaeque mortalis peregrinationis metam attingendam. Habent christiani omnes, qui res ab ea gestas inspiciant ac meditentur, cur tam eximias variasque virtutes mirabundi intueantur, ac pro peculiari cuiusque sua condicione sibi adipiscendas diligentes volentesque proponant.

Hoc a Deo impetret, enixe precamur, haec Caeles novensilis; ita quidem ut sua tutela suoque valido patrocinio quam plurimi queant vel errore obcaecati ad veritatem, vel aberrantes ac via decepti ad rectum iter, vel tepidi neglegentesque ad christianos renovandos spiritus et ad virtutis fervorem refovendum feliciter reduci. Amen.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ICENSIS

CANONICORUM CAPITULUM IN CATHEDRALI ECCLESIA ICENSI ERIGITUR

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cathedralia Capitula, illorum nempe clericorum coetus, doctrina, virtute ac pietate praecellentium, ad hoc potissimum in unaquaque dioecesi instituta seu instituenda sunt non solum ut Omnipotenti Deo sollemnior in templis cultus exhibeatur, sed etiam ut Canonici Sacrorum Antistitibus consilio et opera iuxta sacros canones praesto sint, ac, sede vacante, eorum vices in dioecesis regimine suppleant. Uni autem Romano Pontifici eorum institutio, innovatio ac suppressio reservatur. Quum itaque in dioecesi Icensi, per Apostolicas sub plumbo litteras *Ad maiorem*, die decima Augusti mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto datas, a Nobis erecta, Capitulum Cathedrale instituendum sit, lubenti animo venerabilis Fratris Francisci Ruben Berroa y Bernedo,

illius dioecesis Episcopi, oblatas ad hoc Nobis preces excipiendas duximus. Quare, favente venerabili Fratre Aloisio Arrigoni, Archiepiscopo titulari Apameno in Syria, in Republica Peruviana Nuntio Apostolico, de dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinalis Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis consilio, atque suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, in Ecclesia S. Hieronymi vulgo *La Merced,* quae Icensis dioecesis est cathedralis, Capitulum erigimus et constituimus, quod constabit unica Dignitate, nempe Decano, et tribus Canonicis, quorum alter ad Theologi, alter ad Poenitentiarii officium ad iuris tramitem deputabuntur. Canonicalem praebendam et dotem pro unoquoque beneficio constituet pecunia, quae a Peruvianae Reipublicae Gubernio praestabitur. Attento vero proventuum exiguitate, propter quam presbyteros in Canonicos eligendos aliis ecclesiasticis muniis vacare vel alia beneficia obtinere oporteat, quod quidem iisdem praesentibus Litteris concedimus, Nos indulgemus ut, quousque haec rerum adiuncta perduraverint, chorale servitium absolvatur horarum minorum recitatione et Missa conventualis celebratione, cum Missae applicatione ex parte Canonici hebdomadarii, diebus tantum solemnioribus, in capitularibus constitutionibus statuendis. Episcopo autem sollemniter Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti in ecclesia cathedrali assistere et inservire ad iuris tramitem Capitulares teneantur. Statuimus insuper ut Dignitas et Canonicatus conferantur ad normas, quae statutae sunt in Apostolicis Litteris *Praeclara inter beneficia,* a fel. rec. Pio Papa Nono, Decessore Nostro, die quinta Martii anno millesimo octingentesimo septuagesimo quinto editis, firmo tamen onere professionem fidei et iuramentum contra modernistarum errores emittendi. Cum porro deceat ut qui in Episcopi consilium ac senatum adsciscuntur quibusdam insignibus et privilegiis condecorentur, concedimus ut Dignitas et Canonici, intra fines tantum propriae dioecesis et in capitularibus functionibus, induere valeant rochetum cum flexibus nigris, mozzetam violacei coloris et biretum nigrum cum flocculo eiusdem violacei coloris; diebus vero dominicis Adventus et Quadragesimae cappam nigram et in functionibus Maioris Hebdomadae cappam nigram cum cauda. Mandamus denique ut quamprimum capitulares constitutiones conficiantur, quas, ab Episcopo adprobatas, a Dignitate et Canonicis religiose observari iubemus. In ceteris vero omnibus iuris communis praescripta adamussim serventur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Nuntium Apostolicum in Peruviana Republica deputamus, cui necessarias et opportunas tribuimus

facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actorum peractae exsecutionis quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac declaramus, contrariis quibuslibet minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus ostensis haberetur. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, statuti, concessionis, derogationis, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario perpetraverit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die decima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

Fr. R. C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis.

† Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXV, n. 6 – Al. Trussardi.

II

OLINDENSIS ET RECIFENSIS (CARUARUENSIS)

AB ARCHIDIOECESI OLIDENSI ET RECIFENSI ET A DIOECESIBUS NAZARENSI ET PESQUEIRENSI TERRITORIA DISTRAHUNTUR, EX QUIBUS NOVA DIOECESIS CARUARUENSIS CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quae maiori christifidelium spirituali bono eorumdemque utilitati facilius assequendis faciant, ea Apostolica Sedes sedulo studio praestare satagit, dioeceses, nimio redundandes territorio, dividendo aliasque erigendo, ut, aucto Pastorum numero, dominico gregi potiori diligentia ac studio consuli possit. Iamvero cum archidioecesis Olindensis et Recifensis amplissimo extendatur territorio, venerabilis Frater Michaël de Lima Valverde, eius Archiepiscopus, peropportune a Nobis expostulavit ut nova illic erigatur dioecesis, territorii partes seiungendo, sive a sua archidioecesi sive a finitimis Nazarensi et Pesqueirensi dioecesibus, suis suffraganeis. Nos vero, praehabito favorabili voto venerabilis Fratris Caroli Chiarlo, Archiepiscopi titularis Amideni et Nuntii Apostolici in Republica Brasiliana, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositorum consilio, reique opportunitate mature perpensa, atque suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ab archidioecesi Olindensi et Recifensi territorium distrahimus undecim complectens paroecias, quae vulgo audiunt: *Nossa Senhora das Dores de Caruarú, Nossa Senhora do Rosario de Caruarú, Sao Caetano, Santo Antonio de Cachoeirinha, Nossa Senhora do O de Altinho, Santo Antonio de Bebedouro, Sao Joaquim, Nossa Senhora da Conceição do Bonito, Sao Felix de Camocim, Sao José dos Bezerros, Sao Miguel dos Bezerros;* a dioecesi Nazarensi seiungimus paroeciam *Santa Cruz* et a dioecesi Pesquierensi partem paroeciae *Riacho das Almas*. Ex istis omnibus territoriis novam erigimus et constituimus dioecesim, quae *Caruaruensis* nuncupabitur. Novae huius dioecesis sedem episcopalem in urbe *Caruarú,* a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, figimus, quam proinde ad civitatis episcopalis gradum evehimus, cum omnibus iuribus

et privilegiis ad civitates episcopales pertinentibus; Episcopi vero cathedram in ecclesia Deo in honorem Beatae Mariae Virginis Perdolentis dicata, in eadem Urbe exstante, constituimus, quam idcirco ad ecclesiae cathedralis dignitatem et honorem extollimus; eidemque et pro tempore Episcopis Caruaruensibus iura omnia tribuimus, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Episcopi iure communi fruuntur et gaudent, illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Ipsam autem cathedralem Ecclesiam suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Olindensi et Recifensi, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico subiicimus iuri Archiepiscopi Olindensis et Recifensis. Volumus porro ut donec Canonicorum Capitulum cathedrale constitui poterit, ad iuris tramitem dioecesani consultores interim eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut quamprimum fieri poterit saltem parvum Seminarium dioecesanum iuxta sacros canones et S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas normas erigatur; itemque ut suis sumptibus nova dioecesis Caruaruensis binos electos iuvenes, aut modo saltem unum, in Pontificium Seminarium Brasilianum de Urbe non intermissa vice mittat, ut sub fere oculis Nostris in bonum Ecclesiae instituantur. Quod vero attinet ad dioecesis istius regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Statuimus insuper ut episcopalis mensa novae dioecesis constituatur Curiae emolumentis et oblationibus, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent, praeter quae ad hunc finem iam collecta sunt. Volumus denique ut documenta omnia et acta, quae novam dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, quam primum fas erit, a Cancellariis tum archidioecesis Olindensis et Recifensis, tum dioecesium Nazarensis et Pesqueirensis Cancellariae novae dioecesis tradantur, ut in huius archivo religiose serventur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Carolum Chiarlo, apud Brasilianam Rempublicam Nuntium Apostolicum, vel eum qui in executionis actu eidem Nuntiaturae praesit, deputamus et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidem-

que onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem quamprimum transmittendi authenticum peractae executionis actorum exemplar. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit insursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die septima Augusti mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

Pro S. C. Consistoriali a Secretis
C. Card. MICARA
Episcopus Veliternus.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVI, n. 72. — Al. Trussardi.

III

DE TALI
(TALIANA)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE TALI IN SINIS IN DIOECESIM, TALIANAM NOMINE, ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inceptum a Nobis opus episcopalis hierarchiae in Sinis constitutionis gradatim perficere cupientes, ad dioecesis gradum et dignitatem evehere satagimus Praefecturas vel Vicariatus Apostolicos, in quibus Evangelii Praeconum opera catholica res notabile susceperit incrementum. Lubenti itaque animo, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, attento venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi Titularis Darensis, in Sinis Internuntii Apostolici, favorabili voto, excipiendas duximus preces dilecti Filii Superioris Generalis Societatis Presbyterorum Ssm̄i Cordis Iesu de Bétharram, quibus ab Apostolica Sede postulavit ut Praefectura Apostolica de Tali, suae Societatis curis commissa, in qua indefesso labore constantique zelo missionariorum, multiplicatis missionalibus operibus, non mediocre catholica religio assecuta est incrementum, in dioecesim a Nobis erigatur. Nos igitur, dare quoque volentes meritae laudis missionariis illis testimonium, ut eorum animus simul addatur ad novos maioresque in dies exantlandos labores ad Christi regnum prolatandum, suppleto quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine Praefecturam Apostolicam de Tali, eius territorio servato, in dioecesim Talianae nomine erigimus et constituimus et eam metropolitanae Ecclesiae Coenmimensi suffraganeam facimus eiusque pro tempore Episcopos Archiepiscopi Coenmimensis metropolico iuri subiicimus. Novae autem huius dioecesis sedem in *Tali* urbe, a qua ipsa dioecesis nomen mutuatur, constituimus; cui omnia iura et privilegia tribuimus, quibus ceterae episcopales civitates fruuntur; ecclesiam vero inibi exstantem Sacratissimo Cordi Iesu dicatam ad cathedralis gradum et dignitatem evehimus et illi quoque, nec non pro tempore Episcopis Talianis omnia tribuimus iura, honores, insignia, privilegia et gratias, quibus ceterae ca-

thedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur; illosque pariter omnibus adstringimus oneribus, quibus ceteri adstringuntur. Quod autem ad dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum iura et onera spectat, iubemus ut quae sacri canones praescribunt adamussim serventur. Cum vero praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in hac dioecesi Cathedrale Capitulum modo constituatur, statuimus ut pro Canonicis ad iuris tramitem dioecesani consultores modo eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut quamprimum constituatur Seminarium alumnorum, qui in spem Ecclesiae succrescant, et dioecesis stabilitati tuto firmiterque consulatur. Episcopalem porro mensam, praeter bona ad Praefecturam de Tali usque nunc pertinentia, Curiae Episcopalis emolumenta et oblationes constituent, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis erecta est, praeberi solent. Ad quae omnia ita disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Internuntium Apostolicum in Sinis, vel eum qui exsecutionis tempore Nuntiaturae praesit, deputamus eique idcirco necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, eidemque onus imponimus peractae exsecutionis actorum authenticum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide exemplar quantocius transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua montione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu ta-

men alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die nona Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVI, n. 96. - Al. Trussardi.

IV

DE YAOUNDÉ
(de DOUMÉ)

VICARIATUS APOSTOLICUS DE YAOUNDÉ DISMEMBRATUR ET NOVUS ERIGITUR VICARIATUS DE DOUMÉ NUNCUPANDUS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo faciliori modo evagelizationis operi inter Vicariatus Apostolici de Yaoundé limites consuli possit, preces ad hanc Apostolicam Sedem porrectae sunt ut pars orientalis illius Vicariatus in novum Vicariatum Apostolicum erigatur. Nos vero, qui nihil antiquius habemus quam ut res catholica magis ac magis per orbem prolatetur, lubentissime precibus illis annuere statuimus. Quapropter de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Christiano Nomini Propagando praepositorum consilio, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, sup-

pleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, ab Apostolici Vicariatus de Yaoundé territorio duos districtus civiles vulgo de *Huat Nyong* et *Lom*, atque de *Kadei* distrahimus et novum exinde Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus, de *Doumé* nuncupandum. Novum hunc Vicariatum dilectorum Filiorum Congregationis Sancti Spiritus sodalium apostolicis concredimus curis, qui iam pridem in regione illa ad evangelicam veritatem propagandam impense adlaborant, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum. Novo autem huic Vicariatui Apostolico de Doumé eiusque pro tempore Praesulibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Vicarii iure communi gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia ita disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque alicuius viri ecclesiastici in dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur ostensis. Nemini porro hanc paginam dismembrationis, erectionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel eis contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die tertia Martii mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

† Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 31. – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

B. MARIA VIRGO « DE COROMOTO » PRAECIPUA CAELESTIS PATRONA UNIVERSAE VENEZUELANAE REIPUBLICAE CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Maternam Beatae Mariae Virginis tutelam omnes populi, qui ubique terrarum ad lumen christianae veritatis pervenerunt, experti sunt, atque in gratiarum actionem pro beneficiis ab Ea receptis ferventem ac sollemnem « ex omni tribu et lingua et populo et natione » hymnum extollunt. Haud aliter inter Christifideles, tum indigenas tum europaeos, accidit, qui undique ex Venezuelana Republica ad Sanctuarium Deo dicatum in honorem Deiparae vulgo « de Coromoto » in loco « de Guanare de los Cospes » nuncupato quam plurimi pie conveniunt. Haec marialis pietas reapse indigenarum mentes illuminavit, corda ad superna excitavit atque in publicis privatisque aerumnis recreavit, ex quo, uti fertur, ipsa Dei Mater in loco apparuit ubi dein Templum exstructum fuit, quod Divinae misericordiae et gratiae thronus cito evasit. Venezuelana proinde in Christo Domino Fides, quam Hispani, Fratres praesertim ex Ordine Praedicatorum Sancti Dominici, saeculo XVI illuc intulerunt, quamque Romani Pontifices, ad Christi Regnum dilatandum intenti, sacram Hierarchiam et primam Cathedram Episcopalem tunc canonice instituendo, provide foverunt, vi et ope potissimum flagrantis in Beatam Virginem Mariam « de Coromoto » devotionis magis in dies exarsit et incontaminata permansit. Quam ob rem Episcopi omnes Venezuelanae dicionis, Venerabili Fratre Luca Castillo, Archiepiscopo tit. Rhizaeno et Caracensi Coadiutore, praeeunte, nomine quoque Sacerdotum omniumque fidelium, Deiparam ipsam « de Coromoto » totius Reipublicae Patronam, anno MCMXXXXII, declaraverunt et postea a Nobis enixe petierunt ut hoc ratum confirmatumque benigne haberemus. Cum autem paterno cordi Nostro quam maxime sit, Decessorum Nostrorum exemplo, ut ad bonum spirituale et ad maiorem Dei gloriam marialis pietas magis magisque augeatur, huiusmodi Episcoporum, utriusque Cleri, Optimatum universique Venezuelani populi votis ac precibus annuendum libenti animo censuimus. Proindeque, supra memorato Antistiti gratificantes, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Carolo

Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Praenestino Episcopo, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam titulo « de Coromoto » in loco vulgo « de Guanare de los Cospes » universae Venezuelanae Reipublicae *Praecipuam Caelestem Patronam* confirmamus, constituimus ac declaramus, omnibus et singulis liturgicis privilegiis adiectis, quae principalibus locorum Patronis competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus ac statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, anno MCMXXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

II

BEATA MARIA VIRGO, VULGO « MADONNA DI TIRANO », IN COMENSI DIOECESI, PATRONA CAELESTIS TOTIUS VALTELLINENSIS REGIONIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Cunctas haereses solam interemisse Beatissimam Virginem Deiparam Mariam aperte splendideque per saecula Deus patefecit atque sic iure meritoque in praesenti Sancta canit Ecclesia. Exstat ad Italiae fines, in Comensi dioecesi, Deo dicatum in honorem ipsius Virginis Mariae, Sanctuarium pietatis atque fidei clarissimum testimonium, insimulque luctationis contra haereticos lutheranos historicum monumentum celeberrimum. Paucis enim ante annis quam per Helvetiam vaferrima illa lutherana haeresis, saeculo decimo sexto, in Italiam et praesertim in Valtellinensem regionem irrepsisset,

Deipara ipsa atque amantissima hominum Mater Beato Mario de Homodeis benigne apparens apud castrum vulgo « Tirano » nuncupatum, templum in suum honorem ibi aedificari iussit, quod inter alpestres accolas columen ac tutamen christianae fidei esset. Patrum ita antiqua religio per intercessionem eiusdem Virginis Mariae salva fuit, et gentes illae, haeresis haereticorumque victrices, in oboedientia atque observantia Romanorum Pontificum continenter permanserunt. Haud aliter suam ipsius tutelam Beata Virgo fidelibus suis per saecula ostendit, sive eos ab exitiabili peste liberando, sive permultas alias clades calamitatesque, veluti terrae motus, inundationes, locustas, arcendo. Quod quidem effecit ut ad Tiranense Sanctuarium frequentes, per saecula, vel de acceptis beneficiis Deiparae gratias acturi vel nova a materno eius Corde impetraturi munera atque dona, ex Gallia Cisalpina universa pie convenerint, non solum pagorum humiles vicorumque incolae, sed etiam civitatum proceres optimatesque, nec non amplissimi summaque pollentes auctoritate viri; quos inter meminisse iuvat Mediolanenses Catholicorum Hispaniae Regum Gubernatores, praecipueque, pietate ac sanctimonia memoratu dignissimum, ipsum Cardinalem Archiepiscopum Mediolanen., S. Carolum Bonromaeum. Quare aequam legitimamque ducimus supplicationem a Priore Generali Ordinis Servorum Mariae humiliter Nobis exhibitam ut Beatam Virginem Mariam a « Tirano » nuncupatam, praecipuam Patronam Caelestem totius Valtellinensis regionis declarare velimus. Quibus precibus, perampla Venerabilis Fratris Alexandri Macchi, Comensis Episcopi, commendatione suffultis, ultro obsecundantes, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Praenestino Episcopo atque Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, libenter ac peramanter Mariam Deiparam Virginem, quae sub titulo vulgo « Madonna di Tirano », in Comensi dioecesi, summa pietate colitur, *praecipuam Patronam caelestem* totius Valtellinensis regionis confirmamus, constituimus ac declaramus; omnibus ac singulis liturgicis privilegiis adiectis, quae principalibus locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec benigne largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quid-

quam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Iunii, anno MCMXXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

III

BEATA MARIA VIRGO, TITULO « DOMINA NOSTRA DE CALLE », PRAECIPUA PATRONA CAELESTIS PALENCIAE CIVITATIS CONFIRMATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ostende mihi, Domine, viam » vox est psaltis implorantis. « Ego sum via » vox est Iesu evangelizantis. Ad Iesum autem per Mariam. Maria igitur via ad Christum, qui est « via, veritas, vita ». Quare nil mirum si Beata Maria Virgo passim invocetur sub titulis de Via, de Strata, de Calle. Quis enim filiolus nolit, in manum implicita manu, oculis vel clausis, sequi matrem in via? Sic igitur a Venerabili Fratre Francisco Xaverio Lauzurica y Torralba, Episcopo Palentino, cum gaudio nuper accepimus in civitate Dioecesis suae principe iam ab antiquo cives universos filiali fuisse pietate prosecutos Beatam Mariam Virginem sub titulo « Nostrae Dominae de Calle », vulgo « Nuestra Senora de la Calle »; Imaginem maternam impenso cultu veneratos a progenie in progeniem, omneque in tempus et potissimum necessitate coactos vel in malis iacentes ad Eius fidem confugisse, auxilium vel salutem petituros; in praesentia autem adstipulatas Clero Potestates omnes, civiles ac militares, provinciales et urbanas Palentinas, nec non Collegia Medicorum, causas dicentium in foro, mercatorumque ac Consiliarios Actionis Catholicae et Confraternitatum, pia prompsisse vota ac velut tulisse suffragium de precibus ad Nos admovendis, ut Beatissima Virgo Maria « Domina Nostra de Calle », quam universus Palentinus populus iugiter suam Patronam habuit semperque celebravit, auctoritate quoque Nostra Caelestis Patrona civitatis Palentiae confirmetur seu declaretur, utque quotannis die secunda mensis Februarii dies Eiusdem festus recolatur. Quas au-

tem preces, audito Capitulo Cathedrali, idem obtulit Antistes, Nos paterno libentique animo censuimus excipiendas, simul ominati dilecto Nobis Palentino universo populo ut velit pientissima Mater iter eidem parare tutum « ut videntes Iesum semper collaetemur ». Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Episcopo Praenestino et Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum Beatissimam Virginem Mariam sub titulo « Nostrae Dominae de Calle », vulgo « Nuestra Senora de la Calle » nuncupatam, Praecipuam civitatis Palentinae apud Deum Patronam confirmamus seu declaramus et constituimus, omnibus et singulis honoribus et privilegiis liturgicis adiectis quae praecipuis Patronis locorum rite competunt. Simulque patronali recolendo quotannis festo diem secundam Mensis Februarii indulgemus. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Aprilis, anno MCMXXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

IV

DELEGATIO APOSTOLICA PALAESTINAE, TRANSJORDANIAE ET CYPRI INSULAE CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Supremi Pastoris officium, quo, licet immeriti, fungimur, exigit inter alia multa, ut, ad Christi eiusque Sanctae Ecclesiae iura semper, ubique et omnimode tuenda, ad aeter-

nam animarum salutem etiam in locis ab hoc catholicae unitatis centro dissitis, quo par est studio, provehendam, Apostolicas Legationes in diversis orbis regionibus erigere, multiplicare aut mutare, prout res postulat, decernamus. Nunc vero, cum, inter hanc Apostolicam Sedem et Aegyptiacum Regnum publicis rationibus feliciter institutis, per similes Apostolicas Litteras Nostras, die XXIII mensis Augusti, anno superiore datas, Cahirae Internuntiaturam Apostolicam erexerimus, ad ecclesiastica negotia aptius ordinanda in Sacra Palaestinae Terra, in Transjordania et insula Cypro, has regiones, quas Decessor Noster rec. mem. Pius Pp. XI, Litteris suis sub anulo die XI mensis Martii, anno MCMXXIX obsignatis, a Delegatione Apostolica Syriae subtractas, Delegati Apostolici in Aegypto iurisdictioni subiecerat, Nostri Delegati, quem in Sancta Civitate Ierusalem constituimus, curae committere et auctoritati subiicere opportunum ducimus. Quare, omnibus rei momentis attento seduloque studio perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum tenore, Delegationem Apostolicam in urbe Ierusalem constituimus, eiusque iurisdictioni Palaestinam, Transjordaniam et Cypri insulam subiicimus. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Februarii anno MCMXLVIII, Pontificatus Nostri nono.

PIUS PP. XII

EPISTULAE

I

AD REVM̃UM D. IOSEPHUM CARDIJN : VICESIMOQUINTO ANNO ADVENIENTE A SODALITATE CONDITA, CUI NOMEN « JEUNESSE OUVRIÈRE CHRÉTIENNE ».

Parmi les joies que la Providence semble vouloir Nous réserver à l'occasion de la prochaine Année Sainte, c'en sera une particulièrement douce à Notre cœur — affligé par ailleurs de toutes sortes de peines et de soucis — que la coïncidence de ce grand Jubilé de toute la chrétienté avec celui par lequel Nos Fils et Filles de la Jeunesse Ouvrière Chrétienne célébreront les vingt-cinq ans de leur cher et glorieux mouvement. Qui eût pu penser, lorsque vous jetiez en terre belge, il y a un quart de siècle, au milieu de difficultés et de contradictions innombrables, les premiers fondements de cet édifice, qu'il prendrait en peu d'années de si vastes proportions et s'étendrait bientôt non seulement à la Belgique et à un grand nombre de nations d'Europe, mais jusque dans la lointaine Amérique et presque dans le monde entier?

C'est qu'il venait à son heure dans le plan de la Providence, pour aider à la solution d'un problème qui n'est pas spécial à une région ou à un continent : celui que pose de nos jours devant la conscience chrétienne le sort de tant de travailleurs menacés dans les plus précieux de leurs biens : la foi en Dieu, la vie surnaturelle et le salut éternel de leurs âmes. Les donner ou les redonner — en commençant par les jeunes — au Christ et à l'Eglise, tel fut, dès le début, l'idéal qui vous anima, et que vous sûtes faire passer dans des milliers de cœurs droits et généreux. Les résultats, Nous les avons sous les yeux : ce sont ces admirables phalanges de militants et de militantes, dont l'Eglise est légitimement fière, voyant en elles une promesse et une garantie pour la rechristianisation du monde du travail.

Il était bon que les fruits du dévouement intense et souvent obscur de ces disciples du Christ fussent révélés et manifestés au grand jour, comme ils vont l'être à l'occasion de ce Congrès Jubilaire.

Mais beaucoup plus encore que son extension dans l'espace — dont témoignait déjà de façon si éclatante la récente Semaine d'Etudes de Montréal, avec ses délégués de 42 nations — ce que montrera au monde la J. O. C., en cette rencontre mémorable, et ce qui fait sa véritable grandeur, c'est la formation chrétienne profonde, c'est l'ardeur apostolique et conquérante qu'elle a su donner à ses adhérents, plaçant comme

un levain en pleine pâte ces jeunes hérauts de la bonne cause, qui confessent intrépidement leur foi en face de ceux qui ne l'ont plus, la méprisent ou la combattent. Nous apprécions trop les mérites de ces jeunes travailleurs et travailleuses, qui sans se soucier des moqueries ou des brimades, poursuivent avec persévérance leur œuvre de conquête, pour ne pas leur décerner ici les louanges auxquelles ils ont droit. Qu'il continuent, qu'ils ne ralentissent pas leur élan ! Les conditions du moment, en ce tournant décisif de l'histoire, réclament aujourd'hui plus impérieusement que jamais leur apostolat.

Il est trop évident en effet que si chaque condition sociale a son rôle important à jouer dans une transformation du monde comme celle qui s'opère de nos jours, la classe ouvrière, en ce qui la concerne, est appelée à assumer aujourd'hui des responsabilités qu'elle n'avait jamais connues dans le passé. Et il est non moins évident que beaucoup de ses membres, séduits par un faux idéal de rédemption humaine, prétendent trouver dans les théories erronées du matérialisme athée la seule solution adéquate aux angoissants problèmes du monde du travail. Or ce n'est pas en opposant une attitude négative et de simple défense aux mauvais bergers qu'on peut espérer résoudre ces problèmes. C'est par la présence agissante, au sein des usines et des chantiers, de pionniers pleinement conscients de leur double vocation — chrétienne et ouvrière — décidés à assumer entièrement leurs responsabilités et à ne connaître ni trêve, ni repos jusqu'à ce qu'ils aient transformé leurs milieux de vie selon les exigences de l'Evangile. C'est par cette ceuvre positive, constructive, que l'Eglise pourra étendre son action vivifiante à des millions d'âmes qu'elle entoure d'une si ardente et maternelle sollicitude ; et c'est à cette tâche sublime que sont appelés à contribuer les jeunes chefs ouvriers chrétiens formés par la J. O. C.

La force d'accomplir ce labeur qui pourrait sembler surhumain, ils la trouveront dans la pratique d'une vie sacramentelle et eucharistique toujours plus intense, dans une union de tous les instants avec le Maître de toute pureté, de tout amour, de tout apostolat : le Sauveur Jésus, dans le filial recours à sa Mère, la Très Sainte Vierge Marie. Ils la trouveront aussi dans une adhésion loyale et généreuse aux directives de la Hiérarchie, et spécialment à la doctrine sociale de l'Eglise, et dans une fraternelle et joyeuse collaboration avec les autres mouvements d'Action Catholique en vue du règne de Dieu sur la société tout entière.

C'est, Nous le savons, dans ce sens que sont orientés les efforts personnels de tous ceux — militants, jocistes, aumôniers — qui se prépa-

rent en ce moment méthodiquement à la célébration du XXV^{ème} Anniversaire de leur mouvement. C'est là aussi, Nous en avons l'intime conviction, la gage d'une action efficace et durable de ce Congrès Jubilaire, qui, bien loin de viser seulement à un succès extérieur et éphémère, veut être l'occasion d'un approfondissement et d'un renouveau de l'esprit, des méthodes et de l'influence apostoliques de la J. O. C. dans le monde.

Aussi appelons-Nous dès maintenant en grande abondance les grâces d'En-Haut sur cette préparation, sur ceux qui en ont eu l'initiative et sur ceux qui la réaliseront. Et afin de vous donner un nouveau témoignage de la constante bienveillance avec laquelle Nous avons suivi, accompagné de Nos vœux et de Nos prières les développements de la J. O. C. et l'œuvre imposante que vont consacrer les prochaines célébrations, Nous vous envoyons, cher Fils, tant à vous-même qu'à tous les Jocistes du monde, et à ceux en particulier qui, au nom de leurs frères lointains, feront en ces jours-là, autour de leur fondateur et père, une si magnifique couronne, Notre affectueuse et paternelle Bénédiction Apostolique.

Du Vatican, le 21 Mars 1949.

PIUS PP. XII

II

AD EM̃UM P. D. NORMANNUM THOMAM TIT. SS. QUATUOR CORONATORUM, S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM GILROY, ARCHIEPISCOPUM SYDNEYENSEM, QUEM LEGATUM MITTIT AD SOLLEMNIA IN NAGASAKI CELEBRANDA QUARTO EXEUNTE SAECULO, A QUO S. FRANCISCUS XAVERIUS AD IAPONIAE INSULAS APPULIT.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Supremam sollicitamque in universa Ecclesia potestatem divinitus Nobis habentibus nihil profecto est potius nihilque optabilius, in hoc quidem anxio ancipitique rerum humanarum cursu, quam ut in dissitos exultosque populos catholicae fidei lumen late penitusque propagetur, iisque cum divini Magistri doctrina ac libertate vera prosperitas altiorque dignitas afferatur. Quapropter iucundo prorsus animo nuper accepimus, in Iaponica natione apparari amplissima sollemnia, quarto hoc saeculo ad exitum vergente, ex quo Sanctus Franciscus Xaverius, primorum Apostolorum premens vestigia, cum suis sodalibus, intrepidis evange-

licae veritatis praeconibus, post longam navigationem per ignotas inexploratasque terras multis perfunctus periculis, ad Iaponiae insularum appulit oras. Quid enimvero salutarius esse potest illustri populo Iaponico, quam ut rectum salutis iter ingrediatur, ab illo strenuo Apostolo eiusque aemulatoribus demonstratum, praesertim quum tot tantasque calamitates recentis belli et ruinas expertus sit, et renovatis viribus inter laeta Domini pascua pacifica industriae virtutisque opera aggrediatur, animum divina gratia erigendo ad felicitatem in caelis adipiscendam? Quod si anteactis temporibus plures exstiterunt causae, quae catholico nomini dilatando gravi fuere impedimento, in praesenti autem firma spes affulget fore, ut, conspiratione omnium bonorum in dies progrediente, itineribus quoque et epistularum inter homines commerciis celerioribus frequentioribusque effectis, divini verbi praedicatio et curatio animarum expedite magis magisque in dies peragantur, quo facilius non modo christiana sapientia, verum etiam genuinae humanitatis laus in cives Iaponicos divulgetur. Quare proximam faustitatis quater saecularis celebrationem Nostra commendatione probamus, eique quodammodo praesentes esse exoptamus. Te igitur, Dilecte Fili Noster, qui in praenobili sede metropolitana Sydneyensi pastorali munere perfungeris ac Romanae purpurae splendore refulges, Legatum Nostrum a Latere eligimus ac renuntiamus, ut, Nostram gerens personam, saecularibus praesideas sollemnibus, quae ad memoriam gloriosi ingressus Sancti Francisci Xaverii in Iaponiae insulas celebrandam exeunte proximo mense Maio habebuntur. Tibi ultro facultatem tribuimus, ut, statuta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Denique exoramus divem in misericordia Deum, ut cum pacifico Ipsius regno in clarissima Iaponiae natione constabiliendo novus illic nascatur saeculorum ordo, plenus christianae laudis ac prosperitatis. Cuius interea caelestis praesidii nuntia et peculiaris Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, cunctisque iis, qui sacris sollemnibus intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVII mensis Aprilis, Dominica Resurrectionis D. N. I. C., anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

III

AD EXCMUM P. D. EFREM FORNI, ARCHIEPISCOPUM TIT. DARNITANUM AC NUNTIUM APOSTOLICUM IN AEQUATORE, QUEM LEGATUM ELIGIT AD CONVENTUM EUCHARISTICUM E TOTA AEQUATORIS REPUBLICA QUITI CELEBRANDUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Suavi animi laetitia recens comperimus, Quiti, in praeclara urbe Reipublicae Aequatoris capite, sollemnem ex tota natione Eucharisticum Conventum medio mense proximo Iunio concelebratum iri. Auspicato enim continget, ut sacra eiusmodi Congressio peragatur quinto ac septuagesimo expleto nuper anno, ex quo nobilis ista Respublica Sacratissimo Cordi Iesu est sollemniter consecrata. Qui profecto maior honos, qui cultus divino Cordi exhiberi potest gratior, quam laudes et beneficia recolendo Sacramenti ipsius amoris et novas gratias ex eodem affatim hauriendo? Quare peropportune boni Aequatoriani fideles, per monita hortatusque sacrorum pastorum, per frequentiora pietatis ac poenitentiae officia, ad caritatem erga sacram Eucharistiam provehendam iam pridem studioseque alliciuntur atque ad proximum Congressum Quitensem, flagrante pietate ac maxima frequentia ineundum, alacriter apparantur. Nos autem, quibus tantopere est cordi, ut Augusti Sacramenti observantia magis magisque promoveatur ac populi christiani profectus tam valido caelesti auxilio impensius in dies foveatur, proximam Eucharisticam celebrationem auctoritate Nostra augere exoptamus eidemque per legatum Nostrum adesse ac praeesse decernimus. Te igitur, Venerabilis Frater, qui, archiepiscopali dignitate exornatus, iam Nuntii Apostolici munere perfungens apud Aequatoris Rempublicam Nostram geris personam, Legatum Nostrum per hasce Litteras eligimus atque constituimus, ut Conventui Eucharistico ex universa natione Quiti Iunio mense cogendo nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Minime ergo dubitamus, quin ipse, egregia qua polles pietate ac virtute, adiuvante sacrorum civiliumque Antistitum opera ac praesidio, omnium classium civium faventibus studiis animisque, perhonorificum legationis munus sis fauste feliciterque obiturus. Ipse quidem Salvator Noster ac Redemptor omnes laborantes ac maerentes in praesentibus rerum asperitatibus ad se atque ad infinitos suae dilectionis thesauros iterum iterumque vocat, ut ad Cor suum confugientes exoptato refrigerio et solamine perfruantur. Quorum interea supernorum fructuum

ac donorum conciliatrix et nuntia, peculiarisque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, sollerti Archiepiscopo Quitensi ceterisque Reipublicae Aequatorianae Praesulibus iisque universis, qui sollemnibus Eucharisticis intererunt, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Aprilis, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

CHRISTIFIDELIBUS E TOTA AEQUATORIANA REPUBLICA OB SECUNDUM NATIONALEM CONVENTUM EUCHARISTICUM QUITI COADUNATIS. *

¡Sea por siempre bendito y alabado el Santísimo Sacramento del Altar! ¡Gloria, honor y reparación al Corazón Sacratísimo de Jesús!

¡Gratitud inmensa también, Venerables Hermanos y amados hijos congresistas ecuatorianos, al Dios omnipotente que, después de tántas dilaciones y aplazamientos, os ha hecho finalmente el gran don de este Segundo Congreso Eucarístico Nacional, tan lleno de esperanzas como deseado! « *Laudem dicam tibi et benedicam nomini Domini* ». Te cantaré alabanzas y bendeciré el nombre del Señor.[1]

Pesaba sobre vosotros una doble deuda sagrada: conmemorar el primer centenario de esa histórica archidiócesis de Quito y recordar los setenta y cinco años de una fecha, que ha hecho a vuestra nación famosa en todo el mundo: aquel 25 de Marzo de 1874, cuando, por la voz robusta de uno de sus más ilustres hijos, quedó consagrada — la primera en el Continente Nuevo y una de las primeras en todo el universo — al adorable Corazón de nuestro Redentor.

La deuda queda pagada. Testimoniándolo están vuestro imponente número, vuestro ardiente fervor y vuestro irrefrenable entusiasmo. Y en verdad que era justo dar gracias por aquella consagración, a la que se debe, sin duda, la incolumidad de vuestra fe entre tantos obstáculos y ataques. Era oportuno dedicar un recuerdo a aquel fiel hijo de la Iglesia, preclaro gobernante, caballero intachable e íntegro cristiano, que con los mismos arrestos descendía al cráter de un volcán que pe-

* Datus die 19 Iunii mensis a. 1949.

[1] *Eccli.* 51, 17.

leaba titánicamente por la implantación de aquella República ideal cristiana, por él anhelada, sin retroceder ni ante el propio sacrificio cruento, generosamente previsto. Era incluso razonable vuestro deseo de poder tener hoy, en medio de vuestra Asamblea, un Legado Nuestro, y de tenernos en cierto modo a Nós mismo, por medio de estas palabras que confiamos a la fidelidad y agilidad de las ondas etéreas.

Henos, pues, aquí, congresistas amadísimos, como un padre entre sus hijos; henos aquí, para admirar una vez más vuestra fe, para exhortaros de nuevo a la caridad y para ofrecer al Dios, oculto bajo las blancas especies, vuestro acto de reparación.

Efectivamente, todo Congreso Eucarístico es un acto de fe en el « mysterium fidei », pero de una fe que llamaríamos colectiva y social, de una fe que rebosa de los corazones llenando calles y plazas, alegrando al cielo y edificando a los hombres. En vuestro hermoso y católico país, después del luctuoso 1875, las públicas manifestaciones religiosas se fueron replegando a la penumbra de las Iglesias, como si la sociedad civil quisiera olvidarse de lo que en todos los órdenes debía a la Religión Católica y a sus ministros. ¿Querrá decir este Congreso, tan ansiado, que la noche va pasando ya para dejar el paso primero a la aurora y luego al pleno día?

Todo Congreso Eucarístico es también una exaltación de la caridad, pero de aquella caridad, de aquel mutuo amor que es capaz de unir ante la Custodia santa a los corazones de todos, amasándolos y fundiéndolos como trozos de cera embestidos por los rayos del sol. ¡Bendita unión y bendita fusión, base indispensable de toda felicidad! ¡Ojalá no tuviérais ninguna experiencia, amados hijos, de las trágicas consecuencias que para los pueblos traen las mutuas discordias y las luchas fraternales! ¡Quisiera el cielo haceros repetir ahora con verdad, lo que tan expresivamente dijo uno de los príncipes de vuestra hermosa lengua: « Dichoso aquel, mi Dios, que te ama a Ti; – en Ti al amigo con honesta fe – y al enemigo por amor de Ti ».[2]

Finalmente, todo Congreso Eucarístico es en sí mismo un solemne acto de reparación, donde los honores tributados pública y solemnemente al Dios humanado tienen también como finalidad el borrar y compensar los ultrajes, que acaso ántes se le han inferido. No es Nuestra intención hacer historia, porque al fin y al cabo ante la infinita Majestad Divina « *nullus... per se innocens est* » nadie... de suyo es inocente.[3] Pero esto no quita, hijos amadísimos, para que en este solemne

[2] Lope de Vega, *Poesías religiosas*, soneto « Dios mío, sin amor ¿quién pasará? ».

[3] *Ex.* 34, 7.

momento de vuestra historia os exhortemos a levantar en la presencia del Señor vuestros corazones limpios y puros, ofreciéndolos sobre el ara de ese altar por las injurias y por los desprecios que se le han hecho y, por desgracia, todavía se le hacen.

Este ha de ser, si no erramos, el sentido generoso y cordial de vuestra hermosa Asamblea.

Pero hay también en ella otra coincidencia que, por lo mucho que Nos satisface, no querríamos pasar en silencio. Nos referimos a la feliz unión, en un solo homenaje, del Santísimo Sacramento del Altar y del Corazón Sacratísimo de Jesús.

Ni por su objeto, ni por su motivo, ni por su fin o por su origen podrían confundirse estas dos salvadoras devociones. Pero, en cambio, ¡cuántas felices coincidencias!

Ambas se ponen ante los ojos un mismo Señor, infinitamente amante: la una honrando su amor bajo el símbolo natural de su Corazón; la otra adorando aquel Cuerpo y aquella Sangre, en donde este amor se nos da enteramente. Ambas gozan del privilegio de hacer vibrar las fibras más sensibles del alma humana, de exaltar los mismos sentimientos, partiendo como parten de una misma e idéntica caridad.

¡Amad al Corazón Sacratísimo de Jesús y os sentiréis movidos necesariamente a buscarlo donde está, que es en la Eucaristía! ¡Postraos ante el Dios de los tabernáculos y os sentiréis forzosamente heridos por aquellos dardos que os arrastrarán al Corazón Divino para restituirle amor por amor!

¿Hubo acaso algún enamorado del Corazón Sacratísimo, que no lo fuera de la Eucaristía? O, mejor dicho, ¿no fué precisamente en el Sacramento del Altar donde encendieron sus ansias y saciaron sus anhelos todos los apóstoles del Corazón Divino? Dos ansias devoraban al gran apóstol de aquella devoción, Sta. Margarita María, como afirma quien conoció los secretos de su alma: la Sta. Comunión y el deseo del sufrimiento, del menosprecio y de la aniquilación.

En Quito, ciudad eucarística y teatro de vuestra consagración inolvidable; en Quito, la « muy noble y muy leal » perfumada todavía con el aroma de aquella dulcísima « Azucena », os habéis reunido hoy, justamente orgullosos de vuestra hermosa capital que, recostada a los pies del irascible Pichincha y mirándose en las aguas cristalinas del Machángara, parece dominar señorialmente las dos vertientes que, allá a lo lejos, van a morir en las playas remotas del Atlántico y del Pacífico. Recortada en su transparente cielo azul se alza en estos momentos, como centro de vuestra nación, una Hostia blanca sobre la que

Nos parece ver aquella imagen suavísima del Redentor, a vosotros tan familiar, en la que destaca un Corazón ardiente, cuyos rayos iluminan al mundo suavemente sostenido por su mano izquierda, al dorado cetro regido paternalmente por su derecha y, sobre todo, a aquel rostro divino, donde parece que no hay más que unos ojos elevados a lo alto en fervorosa y mansa oración.

¡De rodillas, congresistas ecuatorianos! De rodillas ante esta imagen, para decirle con fervor: Oh Corazón Eucarístico de Jesús; nosotros, como fruto de nuestro Congreso, te queremos ofrecer una mayor santidad privada, una vida cristiana más fervorosa en el seno de nuestras familias, más religiosidad en la vida pública, más justicia social, y la mayor caridad, la mayor unión posible dentro de nuestro pueblo. Danos Tú, en cambio, tu amor, prenda segura de felicidad y de paz.

Y para que realmente así sea, Nós, felicitándoos por el éxito de vuestra Asamblea, os bendicimos con el mayor afecto a todos y a cada uno de los presentes: a Nuestro Legado, a Nuestros Hermanos en el Episcopado con su clero, a las autoridades y pueblo, al amadísimo Ecuador y a todas las naciones representadas.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

I.

DECRETUM

SCHISMATICA « ACTIO CATHOLICA » IN CECOSLOVACHIA DAMNATUR

Postremo hoc tempore Ecclesiae Catholicae adversarii in Cecoslovachia falsi nominis « *Actionem Catholicam* » dolose excitarunt, qua illius Reipublicae catholicos inducere conantur, ut ab Ecclesia Catholica deficiant et ab oboedientia legitimis Ecclesiae Pastoribus debita recedant.

Quae *actio* eo est iniquior quod eius agitatores non dubitarunt multos cogere, vi vel dolo, ad nomina sua eidem danda; imo eo pervenerunt ut inter asseclas etiam multos sacerdotes et laicos catholicos recensere atque enuntiare auderent, qui ei numquam adhaeserunt, quin etiam contrariam voluntatem manifestarunt.

Quapropter Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii, munere suo fungens fidei ac morum integritatem tuendi, nomine et auctoritate Ssmi D. N. Pii, Div. Prov. Papae XII, praedictam actionem, fraudulenter « *Actionem Catholicam* » nuncupatam, reprobat ac damnat tamquam schismaticam, simulque declarat omnes et singulos, clericos et laicos, qui ei scienter ac sponte iam adhaeserint vel in posterum adhaereant et nominatim eius auctores et promotores, tanquam schismaticos et ab Ecclesia Catholica apostatas incurrisse vel incursuros esse ipso facto in excommunicationem speciali modo Apostolicae Sedi reservatam, de qua c. 2314, firmis ceteris Iuris Canonici sanctionibus, quibus ipsi dein erunt plectendi, si (quod Deus avertat) in censura contumaciter perseveraverint.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 20 Iunii a. 1949.

L. ✠ S.

Petrus Vigorita, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

II

DECRETUM

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione:

1. utrum licitum sit partibus communistarum nomen dare vel eisdem favorem praestare;

2. utrum licitum sit edere, propagare vel legere libros, periodica, diaria vel folia, quae doctrinae vel actioni communistarum patrocinantur, vel in eis scribere;

3. utrum christifideles, qui actus de quibus in nn. 1 et 2 scienter et libere posuerint, ad Sacramenta admitti possint;

4. utrum christifideles, qui communistarum doctrinam materialisticam et antichristianam profitentur, et in primis qui eam defendunt vel propagant, ipso facto, tamquam apostatae a fide catholica, incurrant in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.

Emi ac Revmi Patres, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, in consessu plenario feriae III (loco IV), diei 28 Iunii 1949, respondendum decreverunt:

Ad 1. *Negative*: communismus enim est materialisticus et antichristianus; communistarum autem duces, etsi verbis quandoque profitentur se Religionem non oppugnare, re tamen, sive doctrina sive actione, Deo veraeque Religioni et Ecclesiae Christi sese infensos esse ostendunt;

Ad 2. *Negative*: prohibentur enim ipso iure (cfr. can. 1399 C. I. C.);

Ad 3. *Negative*, secundum ordinaria principia de Sacramentis denegandis iis qui non sunt dispositi;

Ad 4. *Affirmative*.

Et sequenti feria V, die 30 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Excmo ac Revmo Dño Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit et in Actorum Apostolicae Sedis Commentario Officiali promulgari iussit.

Datum Romae, die 1 Iulii 1949.

L. ✠ S.

Petrus Vigorita, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 23 Aprilis 1949. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Sebastopolitanae in Abasgia praefecit Exc. P. D. Henricum Dutoit, hactenus Episcopum titularem Letopolitanum.

die 30 Aprilis. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Pompeiopolitanae in Paphlagonia Exc. P. D. Andream Taccone, hactenus Episcopum Rubensem et Bituntinum.

die 7 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Maridensi R. D. Tullium Botero Salazar, Congregationis Missionis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Ignatii López, Archiepiscopi Carthaginensis in Columbia.

— Titulari episcopali Ecclesiae Vatarbensi R. D. Arthurum Duque Villegas, parochum « Sonsón » in archidioecesi Medellensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Petri M. Rodríguez Andrade, Episcopi Ibaguensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Amyzonensi R. D. Balthassarem Alvarez Restrepo, Rectorem Collegii Dominae Nostrae a Ss. Rosario, dioecesis Manizalensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Aloisii Concha, Episcopi Manizalensis.

die 14 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Ferdinandi, noviter erectae, Exc. P. D. Caesarem M. Guerrero, hactenus Episcopum titularem Limisensem.

— Cathedrali Ecclesiae Cliftonensi R. D. Iosephum Rudderham, administratorem cathedralis Northantoniensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Nephelidensi R. D. Leonem Lommel, professorem Seminarii Luxemburgensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Philippe, Episcopi Luxemburgensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Zelitenae R. D. Alexandrum Olalia,

ex archidioecesi Manilensi, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Constantii Jurgens, Episcopi Tuguegaraoani.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sindensi R. D. Thomam Bernardum Pearson, parochum Ecclesiae S. Cutberti in urbe Blackpol, in dioecesi Lancastrensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Thomae Eduardi Flynn, Episcopi Lancastrensis.

die 16 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Syenitanae R. D. Ioannem B. Grellinger, philosophiae professorem in Seminario archidioecesis Milwaukiensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Stanislai V. Bona, Episcopi Sinus Viridis.

die 18 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Sarsinatensi R. D. Augustinum Biancheri, Antistitem Urbanum, Canonicum theologum Capituli Cathedralis Ventimiliensis et Rectorem Seminarii dioecesani.

die 19 Maii. — Cathedralibus Ecclesiis Feltrensi et Bellunensi, aeque principaliter unitis, R. D. Ioachim Muccin, Parochum Ecclesiae S. Marci in urbe « Pordenone » dioecesis Concordiensis.

die 28 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Limburgensi, R. D. Gulielmum Kempf, parochum ecclesiae Sancti Spiritus in civitate « Frankfurt ».

die 30 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Lublinensi R. D. Petrum Kalwa, professorem iuris canonici in Universitate catholica Lublinensi.

die 4 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Compostellanae Exc. P. D. Ferdinandum Quiroga y Palacios, hactenus Episcopum Mindoniensem.

die 10 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Jerichuntinae R. P. Tarcisium a Ssmo Sacramento, Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, in saeculo Vincentium Benedetti, Parochum S. Teresiae in Urbe, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Adeodati Ioannis S. R. E. Cardinalis Piazza, Episcopi Sabinensis et Mandelensis.

die 22 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Fatensi R. D. Franciscum Zauner, rectorem Seminarii theologici Linciensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Calasanctii Fliesser, Episcopi Linciensis.

II

DESIGNATIO PRO TRIBUNALI SECUNDAE INSTANTIAE

Archiepiscopus Washingtonensis designavit semel pro semper pro appellationibus a suo Tribunali Ordinarium Clevelandensem; quam designationem Ssmus Dominus Noster per rescriptum S. C. Consistorialis die 18 Iunii 1949 adprobare dignatus est.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

EDITIO NOVISSIMA

MARTYROLOGIVM ROMANVM

GREGORII PAPAE XIII IUSSU EDITUM, URBANI VIII ET CLEMENTIS X AUCTORITATE RECOGNITUM, AC DEINDE A. MDCCXLIX BENEDICTI XIV OPERA AC STUDIO EMENDATUM ET AUCTUM

Tertia post typicam editio, iuxta primam a typica editionem a MDCCCCXXII a Benedicto Papa XV adprobatam, propriis recentium sanctorum officiorumque elogiis expleta, Sacrae Rituum Congregationis curis impressa

Typis Polyglottis Vaticanis, MDCCCCXLVIII — Editio in-4° charactere rubro-nigro
Lit. 2000 ($ 4)

SACRAE ROMANAE ROTAE DECISIONES SEU SENTENTIAE

quae prodierunt Anno XXXII (1940) cura eiusdem S. Tribunalis Editae
Editio in-8° pp. VIII-956 Lib. Ital. 2500 ($ 5)

VOLUMI ARRETRATI: IV (1912) - XV (1923) - XVI (1924) - XVII (1925) - XVIII (1926) - XIX (1927) - XX (1928) - XXI (1929) - XXII (1930) - XXIII (1931) - XXIV (1932) - XXV (1933) - XXVI (1934) - XXVII (1935) - XXVIII (1936) - XXIX (1937) - XXX (1938) - XXXI (1939)

Singula volumina Lib. Ital. 2.000 ($ 4)

PRECES ANTE ET POST MISSAM

Lib. Ital. 50 ($ 0,20)

Praesens fasciculus, in commodum Sacerdotum celebrantium e nova editione Breviarii Romani excerptus, quae auctoritate Sacrae Rituum Congregationis cum novo Psalterii textu nunc typis Vaticanis paratur, et intra annum 1949 absolvetur, simul quoad qualitatem chartae et characterum, necnon formae mensuram (14×8½), specimen praebet praefatae novae editionis typicae Breviarii Romani in quattuor partes distributi.

FORCELLINI — **Lexicon totius Latinitatis ab** AEGIDIO FORCELLINI **lucubratum, deinde a** IOSEPHO FURLANETTO **emendatum et auctum, nunc vero curantibus** FRANCISCO CORRADINI **et** IOSEPHO PERIN **emendatius et auctius, melioremque in formam redactum.** — Volumi 6 (compresi i due dell'**Onomasticon di** GIUSEPPE PERIN).

Edizione anastatica 1940, rilegati in pergamena e tela, ciascuno con Appendice inedita di G. Perin — L'opera completa Lit. 60.000 ($ 120).

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO

ANNUARIO PONTIFICIO 1949

RITRATTO DI S. S. PIO XII E STEMMA A COLORI - LEGATURA IN TELA, TITOLO IN ORO

Lib. Ital. 1300 ($ 3)

L'ATTIVITÀ DELLA SANTA SEDE

Volumen, quod « Attività della Santa Sede » inscribitur, praecipua refert acta et documenta, quae Apostolica Sedes anno vertente 1948 edidit. Complectitur siquidem in suaque luce ponit quidquid maioris momenti hoc temporis spatio Augustus Pontifex vel egit, vel edixit; et quidquid praeterea actum est a variis Romanae Curiae Officiis, ac praesertim a Secretaria Status, a Sacris Congregationibus, itemque ab iis, quorum est pontificia caritatis opera administrare.

Qui hoc commentarium legerit, facile cernet ac quasi ante oculos habebit cotidianam atque indefatigabilem Summi Pontificis navitatem; cernet nimirum vel Excellentissimos Praesules, vel Illustres Viros a Sanctitate Sua coram admissos, vel denique ingentes christifidelium multitudines, quibus quidem omnibus paternum eiusdem Sanctitatis Suae alloquium numquam defuit, peculiaribus rerum adiunctis consentaneum. Ac cernet etiam aliquid supernae fiduciae plenum: nuntium scilicet proximi Anni Santi Magnique Iubilaei.

Orationes Pontificis Maximi ea lingua exaratae sunt, qua editae fuere.

De opere agitur summo decore typis edito, ac 32 imaginibus illustrato.

Recensentur etiam honoris insignia hoc anno concessa; ac ponitur rerum omnium index analyticus.

Lib. Ital. 900 ($ 2)

ORDO DIVINI OFFICII RECITANDI SACRIQUE PERAGENDI IUXTA CALENDARIUM ECCLESIAE pro ANNO DOMINI 1950

Lit. 180 ($ 0,40)

Praesens editio Calendarii iuxta novas editiones Missalis et Breviarii Romani nec non S. Rituum Congregationis decreta redacta, praecedentibus excellit ordine, claritate et brevitate. Praecedunt valde utilia *Animadvertenda* circa *regulas in Missae celebratione servandas*; sequitur *Ordo divini Officii recitandi Missaeque celebrandae* cum peropportunis notis respicientibus sollemnitates vel functiones peculiares: in fine Appendix pro Missionibus.

NOVITÀ

DISCORSI E RADIOMESSAGGI DI S. S. PIO XII

Decimo anno di Pontificato

(2 marzo 1948 - 1° marzo 1949)

UN VOL. IN-8° DI PP. XVI 486 L. 1000

SOMMARIO

1. Agli Emi Cardinali, a Eccmi Presuli a Prelati, a Sacerdoti a Religiosi. 2. Radiomessaggi. 3 Ai Capi di Stato, a Capi di Governo, a Capi Missione del Corpo diplomatico. 4. A Pellegrinaggi, a sodalizi religiosi e di Azione Cattolica. 5. Per la restaurazione spirituale e materiale del mondo. A parlamentari, giuristi, scrittori e studiosi. 6. Universale insegnamento di dottrina e di morale. 7. In circostanze e ricorrenze varie. Appendice

I discorsi e i documenti sono riportati nella lingua originale in cui furono proferiti